



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Præmonitio ad Lectorem circa Indicem rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

certo deduci, quod detur verum, & validum matrimonium inter infideles, hinc liquido apparet, quia sensus Ecclesiæ semper fuit, & est ex illis Apostoli verbis constare certo de veritate huius dogmatis, ut apparet ex verbis Innocentij III. Angustini, D. Thomæ, D. Bonaventuræ, & Scoti superius relatis, exque vnanimi cæterorum Patrum, Interpretum, & Theologorum consensu præinducato apud Sanchez. Ipse quin etiam Dicastillo in illa disp. 2. dubitat. 36. num. 452. clarè, & expressè supponit, licet usque adeo inconsequenter, eundem illum esse sensum Ecclesiæ circa ea Apostoli verba.

Art. 25. Quarto, & hoc erit postremum prætermisiss aliis, quæ non sunt tanti momenti, nihilo melius respondet ad memoratum sæpius caput *Gaudemus* de diuortiis. Dicit Innocentium III. auctorem eius textus floruisse decimo Ecclesiæ sæculo, die duodecimo, vel etiam decimotertio, quando ipsa iam habebat Christianos Imperatores, & Reges, in quorum ditioribus habitabant Pagani, qui tenebantur non repudiare propter leges civiles suorum Principum, vel poterant contrahere more eorum, inter quos debebant, ubi poterat iam esse abrogatus usus repudij. Itaque Dicastillo vult Innocentium, dum affirmat dari verum coniugium inter infideles, loqui de solis infidelibus apud quos non esset consuetudo repudij. Sed contra est, primò quia hæc interpretatio est expressè contra ipsum textum. In quo nimirum habentur hæc verba Innocentij: *Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiant uxorem.* Vbi advertere præterea debuisset Dicastillo in sensu composito ritus repudiorum, agnoscere à Pontifice casum legitimam repudiantis uxorem, adeoque consuetudinem repudij non tollere legitimitatem matrimonij, si nil obstat aliud. Deinde quod supponit de Imperatoribus Christianis prohibentibus repudium non subsistit, concesserunt enim potius, ut videre licet inter alios apud Sanchez lib. 10. disp. 1. n. 12. & mirum videri posset, id ibi non fuisse observatum à Dicastillo, cum pleraque illius disputationis eodem ordine, & contextu, quo ibi iacent, transcripserit

in illa sua dubitatione 41. de qua paulo prius dictum est. Ex iis itaque omnibus conicere quisque facile potest, quantum deferri possit auctoritati Dicastillo in hoc negotio.

Art. 26. Patriarchæ Mendez, qui deinde opponitur, contrapono Illustrissimum Andreæ Ouiedo virum doctum, & heroicæ ac mirabilis sanctimoniz, ut videre est in 1. tom. Historiæ Societatis Iesu, qui matrimonia Abissinorum, Tunkinensibus similia, loco præfens, & fungens munere pastoralis censuit esse valida. Deinde puto utrumque accipiendum esse cum distinctione, & attributione accommodata, ut alter respexerit ad ea matrimonia præcise, quatenus subsunt consuetudini repudij, ideoque merito illa eatenus approbaverit; alter vero respexerit ad abusus alios enormes, de quibus fuit quinta nostra conclusio, frequenter apud eam gentem superadditis consuetudini repudij, ideoque etiam ipse merito eatenus reprobaaverit. Ad viros denique doctos, qui tenent oppositam sententiam, & quos ego plurimum revereor, debeoque reuereri, omnino nescio quid dicam, nisi quod spero in nostram esse concessuros iis omnibus, quæ hic per nos indicata sunt, profundiori sua ipsorum consideratione, & doctrina magis, magisque promotis. Pronum nimirum est credere, fore, ut viri simul cum doctrina pij, atque Romano insuper, & cælo, & aëri expositi, accepto quouis utcumque alioquin leui impulsu, in eam demum partem libentes incumbant, in quam multiplici, & efficacissimo, ut minimum dicam, nutu digitorum intendunt Romani Pontifices, diriguntque vexillum Apostolus Paulus, & Princeps Apostolorum, præsertim ubi plano verborum sensui adminiculatur etiam reuerentia facti exacta à me in questione præcedenti art. 15. Exacta vero argumento forti, utpote cogenti fateri Romanos Pontifices, iuxta oppositam sententiam, nulliter dispensasse, non semel in disparitate cultus, nec posse excusari à culpa dispensationis nullius respectu eorum, quibus illam impertiti sunt, nisi per ignorantiam consuetudinis eorundem, lippis notæ, tonsoribusque.

F I N I S.

Præmonitio, ad Lectorem circa Indicem rerum.

Quoniam plerique eorum, qui quærunt aliquid Theologicum per Indicem rerum, sunt iam præscij plus minus in quam potissimum Theologiæ partem, seu tractatum id cadat, operæpretium me facturum existimaui, si Lectorem meum non grauarem necessitate percurrendi promiscuè totum eum characterem, qui erit initialis rei quæsitæ, propterea que curavi, ut sub singulis characteribus singuli seorsim libri distribuerentur inchoata denuò pro singulis serie alphabetaria, quò citius, ac facilius inuenias, quod desideras. Minimè autem necessarium iudicavi notare ubique distinctè totum primum, vel secundum, quandoquidem tu ipse facilè ab initio recognoscas, quot libros totius primus complectatur, & reliquos ad secundum totum spectare. Hoc te scire oportet, quando incidis in particulam remissiuam, *vide*; recurrendum tibi esse ad characterem initialem remissionis ubi tali characteri subest idem ille liber, ex quo remitteris. *Vtere, & vale.*

INDEX